

Jeorgium (de Podiebrad) prius regem boemorum pugnabat. Rem ad annum 1468. 69. tangit *Aquil. Jul. Caesar* in *Annalib. Ducat. Styr. T. III. Vien. 1777. f. Stubenbergius*, et *Lichtensteinius Friderico* reduci supplices facti veniam obtinere; *Paumkircherus* quam vasto corpore, tam viribus validissimis, ut audit *Aen. Silvio* in *Hist. Friderici Imp.* cum *Greifseneggio* capite *Graecii* plexus a. 1471. Anteriori Codicis Thecae adglutinata est Membrana, duabus columnis exhibens eleganti manu Sec. XIV. Fragmentum hebr. absque punctis a *Genes. C. XVI. v. 14. ad XVII. 15.*

CXXXVIII.

- R. 3313. Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 211. f. maj. per duas columnas admodum nitide scriptus, miniatus et literis initiorum picturatis ornatus, est, ut e clausula jam huc transferam, *Collectarius super librum psalmodum collectus et finitus per fratrem petrum de berentbals Canonicum et priorem Floressiensem premonstratensis ordinis Anno incarnationis Domini Millesimo trecentesimo septuagesimo quarto In mense Januarij die quarta.* De Viro hoc quondam sui Ordinis videri potest *Oudinus T. III. col. 1218.* ubi et cetera ejus Scripta, et *Collectarii* nostri Editiones refert, quarum tamen plures adnumerat *Maittairius*. Dicavit illum *Petrus Patri Reuerendo dominoque meo carissimo domino Johanni de Arkel* dudum

Traiecten. ecclesie nunc uero Leodiens. Episcopo, et orfus est: *Cum rem quamlibet honestatis splendore perspicuam &c. Expositio vero ita incipit: Beatus uir &c. Psalterium est quedam magna domus &c. Tam Praefatio, quam ipsa Expositio Cento merus est, siue Catena cujus articulos subpeditauere Casiodorus, Augustinus, Nic. de Lira, Glosa, Hieronymus, Hugo Victorin. Remigius, Gregorius M. &c. minio distincti, et ipse Collector. Finem Operi faciunt Peroratio: *Explicitus est mirabilis et decorus ordo psalmodum &c. tum Oratio ad Deum, quam Librarius ridicule Oratius* inscripsit, demum *Recommendatio libri psalmodum.* Ad calcem praeter jam supra adlata: *Finitus autem presens Liber sub anno domini Millesimo CCCXXX. Per manus Symonis strigil vicarii chori sancti Mauricij augusti.* et fol. ult. *Anno domini Millesimo Quadragesimo Quinquagesimo Tertio Venerabilis in christo pater et dominus Dominus Symon Abbas Monasterij lunelacensis comparauit hunc librum pro florenis vngaricis XII. fane aureis. Praefuit Simon ab a. 1420. ad a. 1463.**

CXXXIX.

Codex potissimum chartaceus U. 577 mixtis membranis lat. Sec. XIV. Folior. 224. f. per duas columnas exaratus hanc pro Theca anteriore Inscriptionem *συγγεγραφοῦ* exhibet: *Primum Volumen lecture M. Haynrici de Oyta super psalterium et continet tabulam omnium psal-*

psalmodum per eum lectorum et cum hoc 19. psalmos primos. Praemittit etiam: Istum librum dedit Magister baynricus de oyta Sacre scripture doctor. Cui retribuatur deus premium eternum. Amen. Tabula incipit: Beatus uir qui non. Notandum quod adam triplici genere peccandi deliquit &c. continet graviora momenta in ipsa Lectura deinceps discutienda, sed non pertingit ultra Psalmum XLIX. Succedit prolixum Prooemium fol. 17. hujus initii: Exurge psalterium. Ps. 56. et 107. Re. p. et Domini. Quia scriptura libri psalmodum seu ipsum psalterium plus ceteris in ecclesiasticis officiis frequentatur, oportet ut ad ejus intelligentiam capeffendam cuiuslibet ecclesiastici viri animus uehementius accendatur &c. Post haec Περολεγόμενα Ps. I. expositio sic infit: Beatus &c. Hic primo secundum glossam considerandum est, quare isti psalmo non apponatur titulus &c. Finitur luculentus Tomus in initio Ps. XX. his verbis: 3^{uo} desiderium ad hoc ordinate passionis — —. Nec mirum; praeter Textum enim declarationem formantur et solvuntur Dubia e Theologia tam dogmatica, quam morali.

CXL.

U. 578

Codex ejusdem conditionis Folior. 230. continuat praecedentem Lecturam a Ps. XX. ad Ps. XXXIII. v. 16. et haec verba: *et cum credimus, quia est, et cum videbimus sicut est. Hec augustinus.*

CXLI.

Codex ejusdem conditionis Folior. 230. continuat praecedentem a Verbis citatis usque ad Ps. XLIII. v. 6. et Jobi verba: *et cuiusvis manus pugnet contra me — —*. In medio hoc Psalmo adhaesisse Nostrum, vix veri speciem habet; quousque tamen progressus, et an totum Psalterium emensus fuerit, qui labor illi IX. certe Tomos peperisset, mihi non liquet. Interea, quod superest, vastam Viri rerum theologiarum cognitionem commendat, digni sane, qui a Tritemio n. 687. Gymnasii Wienensis unicum decus et complantator a principio adpellatur. Gente nempe Friso cum Henrico de Hassia Parisiis evocatus anno 1384. strenuum Collegam suum, ut Viennam, ita et in tumulum commitatus est a. 1397. ut pluribus in Scriptt. Univ. P. I. p. 58.

CXLII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 36 ut videtur, XI. Folior. nunc 84. f. min. caractere Langobardico minutiore, sed nitido exaratus, rubricis distinctus et olim Congregationis sancte Justine de padua deputatus monasterio sanctorum feuerini et fossii (Sofii) videlicet Neapoli continet Scholia in Psalterium, quae tamen a Psalmo XLI. ad Ps. LXXXIX. excidere, ipso etiam Codice primoribus foliis non parum situ, mucoreque vitato. Thecae tergo inscriptum est recentiore manu: *Commentaria in Psal-*